



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 41. Davidis Chytræi mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Doctores veteris sententiæ optime gnaros fuisset suscitata, quam nunquam ab initio fuisse motam omnes usque ad hanc diem summi Pontifices, probique, ac docti Viri exoptant.

§. XLI.

*Davidis Chytræi mors.*

Inter Scriptores secta Lutheranos, qui hoc anno fatis cessere, celebrior est David Chytræus, quem quidam patria Wirtembergicum, ac Braenheikemæ Wirtembergensis Principatus oppido, alii vero die vigesima sexta Februarii anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo trigesimo Ingelsingæ in Suevia natum asserunt. Hic a Matthæo Kochhafen Patre suo ad literarum studia tam sedulo incitabatur, ut nono ætatis suæ anno ad Tubingensem Academiam missus ibidem prima laurea, ac demum quindecim annos natus Magisterii honoribus decoraretur: postea anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quinto Wirtembergam, inde Heidelbergam, & Tubingam profectus, ac rursus Wirtembergam reversus tertio post anno astronomicis disciplinis operam navare cæperat, cum tamen sciendi ardorem domesticis literarum exercitationibus satiare haud posset, anno post Christum natum millesimo quin-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1600.

*Iselin. v. Da-  
vid. Weism.  
to. 2. Hist.  
Eccles. Sæc.  
XVI. p. 129.  
Melch.  
Adam. vit.  
Theol. Germ.  
p. 687.  
Thuan. Hist.  
l. 126.*

R r 3 gen



**Sæcul. XVI.** gentesimo quinquagesimo ingenii exor-  
**A.C. 1600.** lendi gratia per Germaniam, & Helve-  
 tiam in Italiam contendebat, inde ven-  
 sequenti anno Rostochium revocatus  
 ibidem non modo Theologiam publice  
 tradebat, sed etiam Philosophiam, at-  
 que historiam professus Herodotum, &  
 Thucydidem interpretabatur, ubi de-  
 mum anno a Virginis partu millesimo  
 quingentesimo sexagesimo primo Docto-  
 ratus lauream emeritus fuit. Interfuit  
 is quoque Comitibus Augustanis, ad quos  
 Udalricum Megalopolitanum Ducem  
 anno Domini millesimo quingentesimo  
 sexagesimo sexto comitatus fuerat; por-  
 ro tertio post anno in Lutheri secta per  
 Austriam, & Styriam propaganda ope-  
 ram suam impendere satagebat, simul-  
 que circa annum Christi millesimum  
 quingentesimum septuagesimum quin-  
 tum Julii Brunsvicensis Ducis iussu Helm-  
 stadiensem Academiam novis statutis  
 illustrabat: insuper cum hujus Viri fama  
 cresceret, ab Augusto Saxoniae Electo-  
 re accersitus ad procurandam Protestan-  
 tium unionem vires suas intendebat,  
 quam ob rem in theologicis Colloquiis  
 Torgavii, Magdeburgi, Tangermunde,  
 & Juterbaci habitis disputans cum ce-  
 teris concordiae formulam procudebat:  
 præterea aliis gravioribus negotiis præ-  
 positus Superintendentis, ut vocant,  
 munus



Sæcul. XVI.  
A.C. 1600.

munus Rostochii obibat, tandem vero die vigesima quinta Junii hoc anno, ætatis autem suæ septuagesimo mortalitatem exiit, summa sane laude dignissimus, nisi ingenii sui felicitatem, aliasque liberalioris naturæ dotes unice in propugnandis sectæ suæ erroribus impendisset, quo tamen zelo apud Heterodoxos sibi ingens nomen comparabat, atque præ ceteris quidam ex recentioribus Scriptor eundem sequenti elogio commendare haud dubitabat: *Famam habet Viri jucundissimi, omni fere literarum genere instructi, gravis in consiliis, moderati in rationibus agendi, perspicacis in inspiciendis, & notandis ævi sui defectibus, pacis Ecclesiæ cupidi, in historia scribenda fidelis, & sinceri*: verum hanc prærogativam magis sinceri Scriptores Chytræo abnegant. Hujus Scriptoris vitam conscribere Sturcius, & Otto Fridericus Schüz, qui posterior anno Christi millesimo septingentesimo vigesimo Hamburgi ejus gesta, & scripta singulari libro commendabat.

§. XLII.

*Hujus Scriptoris lucubrationes.*

Absque omni controversia Chytræus plurimum commendandus est ob plurimas, easque sat eruditas lucubrationes, quibus, ut ait Thuanns, tot Vi-

Thuan. l. e.  
Iselin. &  
Menckens  
lit. C.

R r 4

rorum